

QUÆSTIO XXII.

Quare tam cito Angelus rapuit Philippum à præsentia Eunuchi?

Arripuit Angelus, sicut transtulit Prophetam Habacuc in Babyloniam, Daniel. 1.4. n. 3. & sicut apprehendit Ezechielem 8. n. 3. Sed cur tam subito, expleto Baptismo?

Respondet D. Chrysof. ut Philippus esset in admiratione, tamquam vir non vulgaris, sed divinus, ut Prophetis non inferior, & deinde ejus doctrina esset in multa æstimatione. Secundo Lyranus. Ut Eunuchus intelligeret Philippum à Deo specialiter fuisse missum ad eum informandum de fide, & baptizandum. Ut inde multas gratias Deo exhiberet pro tam peculiari beneficio sibi dato. Tertio Occumenius ait: Quoniam voluisset Eunuchus adhuc congregari, & Philippus abnuens, ac detegens, cum nondum tempus esset, ipsum utique contristasset; Quia Eunuchus vellet Philippum apud se detineri, quem Deus volebat aliis gentibus prædicare; dona enim Dei non in uno coarctantur, sed in multis extendunt.

Quarto Terullianus lib. de Baptismo ait: Cui ultro Deus Apostolorum miserat, ad quem rursus Spiritus, ut se curriculo adjunderet, iusserat, se ipsa ipsius fidei occurrit, in tempore exhortatus adsumitur, Dominus ostenditur, fides non moratur, aqua non expletur, Apostolus perfecto negotio eripitur. Conceditur, ut Æthiopi Eunuchus Philippus præfens adit, quando Salvator negotium exigit, ut Scripturam exponat, fidei mysteria explicet, & in necessariis instruat, ac baptismali aqua mundet, quo absoluto munere, amplius Philippus non immoratur, sed statim eripitur ab Angelo, & recedit: Apostolus perfecto negotio eripitur.

Scribit D. Joan. 19. n. 23. Quod cum accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est, & inclinato capite tradidit Spiritum. Ad quid meus Jesus cum exspirasset proclamavit alta voce omnia esse consummata, quæ de eo erant prædicta, & prophetizata: Christus, ut supremus Dominus habebat in sua potestate vitam, & mortem, & dum ea, quæ ad Redemptoris munus sibi à Patre commissa fuerant, implerentur, voluit in hoc sæculo retineri; at sua delegatione & Redemptoris officio adimpleto, omnibusque, ad quæ missus fuerat, perfectis, & absolutis, jam non erat immorandum, ideoque exspiravit: D. Chrysof. homil. 84. ait: Ubique demonstrare admittit novam hanc mortem fuisse; siquidem in potestate moriens erat, ne priusquam ipse vellet, & omnia impleta essent, moreretur. Similiter Theophylactus, ait: Non prius mors corpus ejus invasit, quam ipse voluit, voluit autem cum compleret omnia.

Cum accepisset Sanctissima Maria Virgo cognatam suam esse prægnatam Elizabeth profecta est ad eam visitandam, & ut notat D. Lucas 1. n. 56. ibi: Mansit autem Maria mensibus tribus, & reversa est in domum suam. Cur Virgo sanctissima per tres menses ibi immoratur, & illis transactis propriam domum repetit? Profecta est Maria Sanctissima, ut parienti Elizabeth debitum officium sedula sua charitate ministraret, & ibi per tres detineret menses; postquam autem partus est editus, suumque Virgo exhibuit ministerium, & expleto debito officio parienti, nulla jam aderat causa sibi permanendi, & idcirco ultra non detinetur, sed ad propriam domum revertitur. D. Ambros. lib. 2. in Lucam, ait: Maria in domo sera, festina in publico mansit apud cognatam suam tribus mensibus; Etenim, qua propter offi-

cium venerat, inbarebat officio, ut illud impleret, quo absoluto jam amplius non erat ibi immorandum.



CAPUT IX.

1. Saulus autem adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini accessit ad Principem Sacerdotum.
2. Et petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus via viros, ac mulieres vinculos perduceret in Jerusalem.
3. Et cum iter faceret, contigit, ut appropinquaret Damasco: & subito circumfulsit eum lux de Cælo.
4. Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?
5. Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: ego sum Jesus, quem tu persequeris; durum est tibi contra stimulum calcitrare.
6. Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?
7. Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere Civitatem; & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur eum eo, stabant stupescit, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.
8. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum irabentes introduxerunt Damascum.
9. Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducavit, neque bibit.
10. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias; & dixit ad illum in visa Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego Domine.
11. Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur rectus, & quare in domo Iudæ Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat.
12. (Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem sibi manus, ut visum recipiat.)
13. Respondit autem Ananias: Domine, audivi à multis de viro hoc quanta mala feceris Sanctis tuis in Jerusalem.
14. Et hic habes potestatem à Principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum.
15. Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vias electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel.
16. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.
17. Et abiit Ananias, & introiit in domum, & imponent ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu Sancto.
18. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squame, & visum recepit, & surgens baptizatus est.
19. Et cum accepisset cibum, confortatus est: Erat autem cum discipulis, qui erant Damasci per dies aliquot.
20. Et continuo in Synagogis predicabat Jesus, quoniam hic est Filius Dei.
21. Stupebant autem omnes, qui audiebant, & dicebant: Nonne hic est, qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud: & hic ad hoc venit, ut vinculos illos duceret ad Principes Sacerdotum.
22. Saulus autem multo magis convalescebat, & confunde-

- fundebat Iudeos, qui habitabant Damasci, assermans, quoniam hic est Christus.
23. Cum autem impleverent dies multi Concilium fecerunt in unum Iudæi, ut eum interficerent.
24. Nota autem facta sunt Saulo insidia eorum: Custodiebant autem & portas die, ac nocte, ut eum interficerent.
25. Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submittent in sporta.
26. Cum autem venisset in Jerusalem tentabat se jungere discipulis, & omnes timebant eum non credentes quod esset discipulus.
27. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos, & narravit illis, quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei, & quomodo in Damasco fidei aliter egerit in nomine Iesu.
28. Et erat cum illis intrans, & exiens in Jerusalem, & fidei aliter agens in nomine Domini.
29. Loquebatur quoque gentibus, & disputabat cum Grecis; illi autem querebant occidere eum.
30. Quod cum cognovissent fratres deduxerunt eum Casarem, & dimiserunt Tarsum.
31. Ecclesia quidem per totam Iudeam, & Galileam, & Samariam, habebat pacem, & edificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti Spiritus replebatur.
32. Factum est autem, ut Petrus dum pertransiret universos, deveniret ad Sanctos, qui habitabant Lydæ.
33. Inveni autem ibi hominem quendam nomine Eneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paraliticus.

34. Et ait illi Petrus: Anea, sanat te Dominus Iesus Christus: Surge, & sterne tibi; Et continuo surrexit.
35. Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lydæ, & Saronæ, qui conversi sunt ad Dominum.
36. In Ioppe autem fuit quaedam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas: Hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat.
37. Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cum lavissent posuerunt eam in Cœnaculo.
38. Cum autem prope esset Lydæ ad Ioppen, discipuli audientes, quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigrescis venire usque ad nos.
39. Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cum advenisset duxerunt illum in Cœnaculum, & circumsteterunt illum omnes vidua stantes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas.
40. Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit, & conversus ad corpus, dixit: Tabitha surge. At illa aperuit oculos suos, & viso Petro resedit.
41. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset Sanctos, & viduas, assignavit eam vivam.
42. Notum autem factum est per universam Ioppen, & crediderunt multi in Domino.
43. Factum est autem, ut dies multos moreretur in Ioppe apud Simonem quendam Coriarium.



ARGUMENTUM.

Tria proponuntur in hoc Capite, Admirabilis Pauli conversio, Aneæ paralytici curatio, Tabithæ, seu Dorcas suscitatio.

Act. 9. v. 1. Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, accessit ad Principem Sacerdotum.

Nam. 2. Et petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus via viros, ac mulieres vinculos perduceret in Jerusalem.

Versiones

CVM EXPOSITIONE I.

Verf. 1. **S**aulus adhuc spirans minarum. Syriac. Adhuc erat plenus minis furoreque cædis. Arabicus: Cæterum Saulus spirans erat minas, & necem. Æthiopicus: Squis cum processisset ira, multiplicavit flatum. Nota illud Adhuc, ac si dicat, crudelitatem, aviditatem, ac sicim suam sanguinis Christianorum, non explevit Saulus necem Stephani, ac multorum Christianorum ferè duorum millium, ut vidimus cap. 8. n. 2.

Spirans minarum, & cædis. Syriac. Plenus minis, furore, tamquam rabidi, ac furentis Leonis fumantem ignem spirabat, corporis gestu, & actionibus, & verbis jactantibus crudelissimas, ac lethiferas minas, ut omnes Christianos eradicaret, & extingueret; totum hoc significat illud spirans: sic de Antiocho Rege scribitur Machabæor. 2. cap. 9. n. 7. Ignem spirans animo in Iudeos. Ad Principem Sa-

cerdotum, qui tunc erat Annas, vel aliquis ex Annæ filiis, ut vidimus supra cap. 4. n. 6.

Petiit ab eo epistolas. Syriac. Poposcit epistolam à Summo Pontifice sibi dari, non mandatus, nec rogatus, sed ipse se obtulit. Tantis erat furor Pauli, ut non solum persequeretur Christianos in Iudæa, sed etiam in aliis locis, & Civitatibus, ut ipse de se fateatur in cap. 26. n. 11. dicens: Et amplius insanens in eos persequeretur usque in exteras Civitates, in quibus dum irem Damascum, Damascus, caput Syriæ distans à Jerusalem, 50. leucis ad latus Libani sita, suum Regem habebat Aretam, 2. Cor. 1. n. 3. 1. & quia in persecutione Stephani multi Christiani confugerunt in Damascum, Iudæi impetrarunt à Rege Areta, ut Christiani existentes in Damasco ibi comprehenderentur, ut constat ex citato loco 2. Cor. 1. n. 1. & ibi notant Expositores, & ideo Saulus peculiariter postulavit epistolas in Damascum.

A Summo Pontifice, ait Syriacus, ut notat Lyranus, ut ex ejus auctoritate magis posset fidelibus nocere. Et dicitur in Textu: Ad Synagogas, quas olim Rex Benadad concesserat Iudeos habere in Damasco, 3. Reg. 20. n. 34. & sic legit Arabicus: Ad Synagogas ibi commorantes. In Damasco nempe: Si quos invenisset hujus via viros. Syriacus: Si quos eruditores Syriac in hac via inveniret. Æthiopic. Sequentes hanc viam scilicet Christi sectatores.

Vinculos perduceret in Jerusalem. Arabicus: Vinculos perduceret, ex quo patet: quod Saulus non ibat solus, sed alii cum eo, quorum ipse dux erat, ut Christianos

183. Dan. 1. Ezech. 8.

184. D. Chrysof. Lyran.

Occum.

185. Terull.

Expleto officio ministrabat.

186. Joan. 16. Christus expleto Redemptoris officio exspiravit.

D. Chrysof.

Theod.

187. Luc. 1.

D. Ambros.

1. Syriac. Arabic. Æthiop.

Act. 18.

2. Syriac.

Mac. 9.

3.

Act. 16.

Damasc.

2. Cor. 11.

4.

3. Reg. 20.

Æthiop.

5.

Arabic.

Christianos vincos traherent, & quando Christus infra loquens ei apparuit, ait Textus vers. 7. Illi, qui comitabantur cum eo stabant obsupecti, audientes vocem, neminem videntes, & ut bene notat D. Chryso- st. Oecumenius: Noe pete potestatem eos sibi puniendi, sed adducendi Ierusalem, quod hac majori a iudicando, auctoritate fieri vellent, vel forte Saulus secum habuit hanc prudentiam, cum se videret multum iracundū à iudicando se abstinent, ne aliquid inordinatum committeret.

QUÆSTIO I.

Quare iste illustrissimus dictus est Saulus, & postea Paulus?

6. Hæc admirabilis conversio contigit anno secūdo ab Ascensione Christi, ut habet Martyrologium Romanum die 24. triginta diebus à nece D. Stephani, cum esset Saulus triginta quatuor annorum ætatis suæ, ut tenet Baronius anno Christi 3. Epitome Spondani n. 5.

7. Circa nomen Pauli iarga tractant Expositores ad initium epistol. ad Romanos D. Ambros. ser 31. & D. August. serm. de D. Paulo, dicunt hoc nomen sibi assumpsisse ex humilitate. D. Chryso. homil. de conversione Pauli ait, hoc nomen ei datum fuisse à Deo, ut nomen dedit multis Patriarchis, & Apostolis tanquam ex pabulo, & alimento, quod dedit Ecclesiæ. Alii, & communiter Recentiores Paulum dictum existimant à Sergio Paulo Proconsule, qui fuit primus, quem ipse convertit in Insula Cypro, Actor 13. n. 7. & grandis conjectura est, quia ante huius conversionem semper nominatur Saulus, & post etiam Baptismum nunquam dicitur Saulus, ab eo ergo nomen accepit ob illius amicitiam, & ut se magis insinuat, & tamquam à primo converso, ac trophæo suæ prædicationis nomen habuit Paulus.

8. Saulus, ut notat D. August. serm. 14. de Sanctis dictus est à Saul, unde Græca, & Syriaca exemplaria pro Saule, Saule habent Saul, Saul; Et recte convenit nomen; nam sicut Saul, ut ait D. Augustinus persequatur innocentem Davidem, Inde iste Saulus ducto secum tramite sciendi persequatur Christianos, & cum esset ex Tribu Benjamin in eis est impleta illa prophetia Iacobi, Genes. 49. n. 27. Benjamin lupus rapax mane comedit prædam, & vespere dividet spolia. Quod dictum est Benjamin designans Paulum ab eo origine trahentem, ut notat D. Chryso. st. D. Hieronymus, D. August. & D. Ambros.

9. Et sicut Benjamin fuit ultimus, & minimus, sic & Paulus extitit ultimus inter ceteros Apostolos; & sicut Benjamin à Ioseph multis prærogativis nobilitatus est, Genes. 43. n. 34. sic & Paulus multis privilegiis præ ceteris Apostolis dotatus fuit à Christo, & sicut Benjamin nascens ob mortem matris dictus est Benoni, filius doloris Genes. 31. n. 18. at postea ob multa amoris patris signa appellatus est Benjamin, id est filius dexteræ, ibidem n. 19. sic & Saulus ob multam Christianorum mortem filius doloris Ecclesiæ erat, tamen postea magna Dei gratia superveniente mutatus est Paulus, & dictus filius dexteræ ob multa mirabilia.

10. Magno ingenio notavit, & querit Petrus Damianus opuscul. 35. cap. 1. Cur in simaginis antiquis pingatur per universas adjacentes Roma Provincias, Petrus, qui primus est ad sinistram, Coapostolus autem ejus Paulus constituitur ad dexteram; cum juxta vulgarem sensum hoc rerum ordo deservat, ut Petrus, qui Senatus Apostolici Princeps est dexterum latus Domini, Paulus vero qui junior est, sinistram jure pos-

ident, Quæ omnia alta providentia, & magno consilio disposita, ac ordinata sunt à S. Sylvestro Papa, Constantino Magno, ac cæteris, qui inde subsecuti sunt, & Paulus sit ad dexteram Salvatoris, Petrus vero ad sinistram? Ad quæstionem.

11. Respondet ipse Damianus: Non ergo immerito filius dexteræ Paulus vocatur, per quem omnis gentium multitudo, quæ ad dexteram Dei ponenda est, ad fidei Sacramenta colligitur. Petrus paucam doctrinam nobis dedit, duas tantum epistolas scripsit; at Paulus multas magnâ, atque sapientiâ plenas, quas mirificè laudat D. Petrus 2. epist. 3. n. 15. In eis nobis Paulus magnam dat fidei doctrinam, magna, & alta nobis aperit mysteria, explicatque multa, & sublimia præbet documenta ad sustentandam, ac defendendam Ecclesiâ, & ad conversionem, & vocationem, gentium, quæ spectant ad dexteram Dei; Paulus doctrinâ suâ convocat gentes; quæ constituendæ sunt ad dexteram Dei, indeque optimo jure ipse ad dexteram collocatur; Unde concludit Damianus. Rectè igitur Paulus dexteram iuxta Redemptorem literis obtinet dignitatem, qui divina dexterâ non ambitur exercere virtutem.

QUÆSTIO II.

Quare Saulus à Summo Pontifice non postulata mandata, sed epistolas?

12. Non postulat Saulus à Principe Sacerdotum decreta, mandata, provisiones, sed epistolas: Maxime consideranda est altitudo, & profunditas Divinæ Sapientiæ: ipse totus furibundus, & anhelans querit, & postulat ad Dei Ecclesiâ destruemdam, deturpandam, obscurandam, ac extinguendam; ordinat Deum, ut ipse scribat, & nobis det epistolas divina Sapientiâ plenas, ad fundandam, extruendam, ac illustrandam Ecclesiâ: O mutatio dexteræ excelsi! qui sic rerum ordinem, ac stylum immutat, qui sic convertit hostilia arma in salutare fomentum, ac patrocinium, & sic manus obarmata cum epistolis ad expugnandam Ecclesiâ, sic manus armata cum epistolis ad fortiter pugnandum pro defensione ipsius Ecclesiæ.

13. Ait Isaias. 2. n. 5. Constitutum gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Et quando hoc factum Isai. 2. est, ut gladii, qui sunt ad perdendam vitam, convertantur in aratrum, & instrumentum alendæ vitæ; & lanceæ, quæ sunt ad destruendum, sint pro metendis alimentis? Hoc totum in Paulo videmus impletum, ait Tertullianus, lib. adversus Gnosticos. c. 13. & ait: Paulus Apostolus de persecutore, qui prius Ecclesiæ sanguinem fudit, postea gladium stylo mutans, & convertit machæram in aratrum, lupus rapax Benjamin, deinde afferens ipse escam. Paulus totus furibundus gladios, & lanceas spirans ad perdendos Christianos, & totos eos tamquam lupus rapax ibat ad devorandos, sed Deus mutat stylum, ut gladii vertantur in epistolas reipublicæ Christianæ fundatrices; & tota illa machæra mille mortes spirans, tota versa est in aratrum Cælestis doctrinæ ad mirificè excolendum Ecclesiæ agrum, & qui erat lupus voracissimus, cælestis alimenti dispensator factus est.

14. Ait Regius Vates Psalm. 47. n. 1. Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Civitate Dei nostri in monte Sancto ejus. Fundatur exultatione universa terra mons Sion, latera Aquilonis Civitas Regis magni. Mirificè laudat Propheta Dei maiestatem, & excellentiam in Civitate Dei nostri, in sua nempe Ecclesiâ, in qua mirificè glorificatur à suis fidelibus, & cum summo gaudio, & læticia universi orbis fundatur super

per montem Sion, & super latera Aquilonis: Fundatur cū exultatione universa terra mons Sion, latera aquilonis. Quomodo Ecclesiâ habet pro suo fundamento Sion, & aquilonis latera pro Paulo explicat ibi D. Ambros. & ait: Vide Paulum cum persequitur Eccl. suam Dei latera Aquilonis fuisse, vide nunc cum legitur in Ecclesiâ montem esse specularium, per quem gloriam Christi cognoscimus, & videmus dominus deus noster magnus dominus, & laudabilis nimis, suam magnitudinem ostendit in Paulo pro quo maxime extollendus, latera Aquilonis Paulus est cum d. Ambros. interpretatur etiam Rupertus Aquilino ventus fortis, & rigidus omnia conterens, & ideo Lucifer dicebat: Sedebo in lateribus Aquilonis, Isai. 14. n. 14. Sic Saulus cum iret spirans veluti coterens omnes Christianos; at verò postea Dei gratia factus est mons Sion montem specularium, creatus est altissimus mons acutissima perspicacia, & speculatione sublimium mysteriorum dei, quorum notitia totam Ecclesiâ illustravit ac illuminavit aperiens arcana abscondita à sæculo: Montem esse specularium, per quem gloriam Christi cognoscimus, & videmus, & ideo pro tanto magistro concessio, Fundatur cum exultatione universa terra.

QUÆSTIO III.

Quare Paulum tam crudeliter sciens Deus vocat ad lumen suæ Ecclesiæ?

15. Petiit epistolas in Damascum, ejus vehemens zelus inde ostenditur quod ad exterâs nationes eum impellebat. Sic ait D. Chryso. in præfenti: Quod ex zelo faciebat, manifestum ex eo, quod in exterâs civitates abibat. Illa Pauli dispositio, conditio, ac ingenium ad valde magna aptum erat, sed multum incultum; tamquam ager fertilis inutilibus herbis repletus, qui bene excultus uberes fructus parturiret Ita D. August. lib. 22. contra Faustum cap. 70. ait: Illa namque Pauli sciencia putans officium Deo facere tamquam Sylvestre erat vitium, sed magna fertilitatis indicium.

16. Quod confirmat optime exemplo Moysis, qui cum vidisset Ægyptium quendam percutientem Hebraeorum, defenso Hebræo interfecit Ægyptium. Percussit Ægyptium abscondit sabulo, Exod. 2. n. 12. In quo facto licet alias vitiose Moyses tamquam vitium magni animi Deus destinavit, ac elegit in ducem ac Principem sui populi, sic ait citatus D. August. Sicut Agricola, quam terram viderint, quamvis inutiles, tamen ingentes herbas porrigere frumentis aptam esse pronuntiant sic ille animi motus, quo Moyses fratrem inultum esse non pertulit: non virtutum fructibus inutilis erat sed adhuc incultus, vitiosa quidem, sed magna fertilitatis signa fundebat.

17. Vidit Deus hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi; sequere me, Matth. 9. n. 9. Vocat Christus Dominus Matthæum è telonio, cur non potius, quando erat in Templo ad orationes quæ ibi fiebant, vel quando erat degens, vel ambulans, sed è telonio vocat eum ad Apostolum, ac Evangelistam? D. Paschasius: Erat in telonio servido zelo nunc rans pecunias, & non minori cuncta scribens. Actiones defectuosæ, sed bene excultæ, multum proficiat ad Apostolicam prædicationem, & ad solertè nobis Evangelium literis commendandum.

Act. 9. n. 3. Et cum iter faceret, contigit, ut

appropinquaret Damasco, & subito circumfulsit eum lux de Cælo.

Num. 4. Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule quid me persequeris?

Versiones,

CUM EXPOSITIONE II.

18. Vers. 3. Cum iter faceret, Syriacus: Cumque proficisceretur, inciperetque appropinquare. Alii: Cumque iens, & inciperet pervenire medio ab urbe milliari subito. Syriacus: Depente. Ait Lyranus. Ut solet fieri in confusionibus, & fulgore, semper deus in modo operandi, quantum fieri potest se accommodat rebus naturalibus, & divina quando minus cogitantur, ad sunt.

19. Circumfulsit eum lux de cælo. Syriacus: Affulgens circa eum fuit lux. Arabicus: Effulsit super eum lumen de Cælis. Ethiopicus: Fuit meridiana, & magna lux, & cum esset meridianum tempus, illa lux superavit solis splendorem; & non solius Pauli, sed omnium comitum ejus oculis perstrinxit, & omnes humi se se prostraverunt.

20. Vers. 4. Cadens in terram præ stupore, ac admiratione: Audivit vocem auditu corporis, & mentis, quæ vox prolata fuit Hebræica lingua, ut ipse infra testatur, quam vocem solus ipse intelligens audivit, & intellexit; nam comites audiverunt vocem confusam non eam intelligentes: Saule, Saule, Hebræicè Saul, Saul, hæc repentino fit ad majorem efficaciam, & ad magis excitandam attentionem. Quid me persequeris? Meum nempe corpus multum, meam nempe Ecclesiâ, ejusque membra, nempe illius fideles.

QUÆSTIO IV.

Quare Christus D. tot, & tanta interposuit ad conversionem Pauli?

21. At Regius Vates Psalm. 105. n. 2. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudationes ejus; Quod de dei magnificentia erga Paulum expendit Chryso. serm. 4. in epistol. ad Philipp. ubi sic ait: Quis loquetur potentias tuas Domine, quod Paulum non es passus delitescere, sed Orbi universo virum hunc in lucem exhibuisti? Laudarunt Dei te simul omnes Angeli cum astra creares, & Solem verum amen non ita quemadmodum unum Paulum, laudarunt omnes Angeli, cum tua infinita potentia astra creasti, & Solem nitentes in Orbe, & multo magis te laudabunt cum nobis dedisti Paulum sua doctrina splendidiorem lucem super Solem, & Altra.

22. Quæstio præfens est cur deus tot, & tanta exhibeat, ut ad se advocet, & trahat Paulum, Ut tota Ninivitarum Civitas converteretur sufficiens fuit una Prophetæ vox, ut david à suo adulterio exurgeret, una Nathan Prophetæ admonitio præfuit. At ut Saulus convertatur lux fulget de Cælo, Filius dei de dextera Patris descendit, ipse cadit in terram, vox tamquam tonitruum magni sonat, & ipse Saulus proprio nomine bis vocatur, Saule, Saule, deinde ipsius crimen ei objicitur, Cur me persequeris?

23. Respondeo, ut tota Civitas à sua prævaricatione emendaretur, & ut rex à suo adulterio desisteret, extitit abundans